

Petrus de Vinea

*Ep. II 43 (Nuper dum
terra Sancti Germani...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 43 (Nuper dum
terra Sancti Germani...)*

1252

Fidelibus suis Syciliae, significans eis deditionem Sancti Germani.

1. Nuper dum terra Sancti Germani, temere dudum Montis Cassini et Roccae Ianulae per ipsos munitionibus occupatis, contra maiestatis nostrae potentiam rebellionis calcaneum erigere presumpsisset, ad ipsius expugnationem uictricia signa nostra direximus et ante portam ipsius fiximus castra nostra. Quae dum sic se uideret felicibus exercitus nostri uiribus potenter obsessam, quod de omni defensionis suffragio desperabat, uolens misericordiam petere potius quam expectare iudicium, ad pedes nostrae maiestatis necessario se prostrauit, munitionibus ipsis et personis, rebus eorum omnibus in nostris manibus resignatis. 2. Nos autem, qui misereri potius uolumus quam ulcisci, ad multa eorum humilitatis et deuotionis indicia clementer eis indulximus et supplices recepimus in gratiae nostrae sinum, procedentes aliunde cum uictorioso exercitu nostro ad aliorum rebellium nostrorum reliquias conterendas. 3. Quod deuotioni uestrae significamus ad gaudium, ut de presentis successus prosperitate nobiscum collemmini, firmam spem certamque fiduciam assumentes, quod dante Domino maioris letitiae uos in proximo participes faciemus.